

T. LVCRETI CARI

concipere, ut merito rubeant ignisque profundant.
hasce igitur cum ventus agens contrusit in unum
compressitque locum cogens, expressa profundunt
semina quae faciunt flammae fulgere colores.
fulgit item, cum rarescunt quoque nubila caeli.

nam cum ventus eas leviter diducit euntis
dissoluitque, cadant ingratis illa necesest
semina quae faciunt fulgorem. tum sine taetro
terrore et sonitu fulgit nulloque tumultu.

Quod superest, *(quali)* natura praedita constent
fulmina, declarant ictus et inusta vaporis
signa notaeque gravis halantis sulphuris auras.
ignis enim sunt haec non venti signa neque imbris.
praeterea saepe accendunt quoque tecta domorum
et celeri flamma dominantur in aedibus ipsis.
hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem
constituit natura minutis mobilibusque

corporibus, cui nil omnino obsistere possit.
transit enim validum fulmen per saepa domorum,
clamor ut ac voces, transit per saxa, per aera,
et liquidum puncto facit aes in tempore et aurum,
curat item vasis integris vina repente
diffugiant, quia nimirum facile omnia circum
collaxat rareque facit lateramina vasis
adveniens calor eius et insinuatus in ipsum
mobiliter soluens differt primordia vini.

quod solis vapor aetatem non posse videtur
efficere usque adeo pollens fervore corusco.
tanto mobilior vis et dominantior haec est.

Nunc ea quo pacto gignantur et impete tanto
fiant ut possint ictu discludere turris,

210

215

220

225

230

235

240